

103. Veniensque ad domum cujusdam archidiaconi, qui eum ad hospitium suum traxerat, secessit in oratorium ibidem constitutum. Cumque cepisset orare in spiritu vehementi, validissima compunctione totus in lacrymas resolutus est, ita ut gemitus et singultus, quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto, præfatus archidiaconus a sociis ejus inquirere cepit, quænam esset tanti causa maroris. Respondens autem unus ex eis, vir religiosus, quondam abbas Fusniaci, nomine Renaldus, qui secretorum Famuli Dei magis conscius erat, et cujus etiam relatu ista cognovimus, dixit ad eum: Homo iste mirabilis totus igne caritatis accensus, et totus in Deo absorptus, nil aliud in mundo desiderat, nisi tantummodo, ut valeat errantes ad viam veritatis reducere, et eorum animas Christo acquirere. Et quia modo verbum vitæ seminavit in scholis, et de conversione clericorum fructum verbi sui non recepit, Deum sibi putat iratum, cujus hodie in sua prædicatione non persensit respectum. Hinc ista procella gemituum; hinc effusio lacrymarum: proinde nunc certissime spero, quod hodiernam sterilitatem crastinæ satisfactionis ubertas grandi fenore compensabit.

104. « Mane itaque facto, cum scholas repetisset prædicator egregius, ad nuntum Domini navem cogitationis duxit in altum, et sacræ doctrinæ retia laxavit in capturam. Finito vero sermone, plurimi ex eisdem clericis per manum illius sese Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculo, tanquam de marinis fluctibus extractos, et vehiculis conductis impositos, in salvatorium Clarævallis inferre non distulit. Tandem egressus de civitate cum comitatu suo, usque ad villam Sancti-Dionysii venit, ibique pernoctavit. Summo vero mane facto, cum eum recto itinere profecturum fratres illius existimarent, dixit: Redeundum est nobis omnimodis Parisius, quia sunt adhuc ibi aliqui ex nostris, quos etiam oportet nos inde adducere, et adjungere huic ovili dominico, ut fiat unus grex, et unus pastor.

105. « Cum ergo cepissent introire in civitatem, vidit clericos tres a longe in occursum ejus venientes, dixitque ad socios suos: Expedivit nos Dominus, jamque in via nostra proficissemur. En, isti sunt clerici, propter quos venimus. Illi vero accedentes cum eum adesse cognoscerent, gavisus sunt gaudij magno, et dixerunt: O quam desideratus advenis, beatissime Pater, quia propositum nostrum erat adire te: vix putabamus abeuntem consequi posse. Qui respondens dixit ad illos: Et ego noveram, dilectissimi; propterea festinabam cum panibus occurrere fugientibus vobis. Gradiamur itaque simul, eroque per gratiam Dei ductor itineris vestri. Adjunctis ergo cæteris supra memoratis, secuti sunt hominem sanctum, adherentes ei, et sub disciplina, magisterii ejus spiritualem exercitantes cunctis diebus vite sue. Hæc ibi longiusecula quidem, sed fideli narratione: unde luceat mirabilis in sancto Patre dicendi vis, qua juniorum hominum corda, ad instar sacri magnatis,

fortiter et suaviter attrahebat, ut jugum Domini portarent ab adolescentia sua. Porro accidit etiam, ut « Sanctus in his actionibus (sic pergit Manricus num. 6) non præmeditato sermone, sed subitaneo (inspirato utique a Deo) atque ex ipsis scholarum materiis quamvis minutis, occasione accepta, philosophiam christianam prædicaret, » ex Vincentio Bellovacensi, quem citat in Speculo morali, lib. II, p. 2, dist. 6. Textus vero, qui ibidem ab ipso producit, vel eodem, quem citabam, num. 6, vel in ipso potius fonte videri potest; cum superiora sint satis longa; et longissima in rebus sancti doctoris illustrandis supersit nobis via.

106. Hinc itaque cum Manrico delabimur ad annum Christi 1123, quo multa et mira de viro sancto a nobis referenda suppeditat. Ibidem cap. 2, num. 1 hoc exemplum recitat ex Cæsario homilia 8, post Epiphaniam: « Tempore quodam cum S. Bernardus abbas Clarævallis, adhuc adolescens, ad missam staret, et quædam illic negligentia circa ministerium altaris contigisset, quædam reverenda persona illi tristi vultu apparens, ait: Si scirent monachi, quantum sanctos angelos, qui hic præsentés sunt, contristarent, cum in hoc sacro ministerio tepidi sunt et negligentes, et quantum illos lætificarent, quando illos devotos vident atque ferventes, cautiores efficerentur. Quem cum interrogaret vir beatus de statu monachorum, respondit ille: Omnes, qui in ordine Cisterciensi perseveraverint, salvi erunt. » Hæc e Cæsario ibi ad dictum annum num. 1; sive ad eundem annum, sive ad anteriores, cum sanctus vocetur abbas adhuc adolescens, referenda sint. Porro cujusmodi fuerit ista negligentia, quænam persona sancto Patri spectabilis apparuerit, prædictio item illa quibus verbis extensus declarata, subdit Manricus num. 2 ex Exordio Cisterciensi lib. II, cap. 1, ejus auctoritate confirmantur supra dicta. Subdo textum ex impressione Tissieriana distinet. 2, cap. 1 Exordii magni:

107. Accidit aliquando in Claravalle, dum missa in conventu celebraretur, eodem venerabili Patre præsentem, ut, lecto Evangelio, sacerdotis manibus lavandis aqua per negligentiam deesset: quæ, cum aliquantulum diutius expectaretur, conventus interim versis vultibus ad orientem stabat. Cumque Pater sanctus in stallo (id est sedes in choro ecclesiæ) quo antedum presbyterii staret, monachus quidam ante paucos dies defunctus ei visibiliter apparuit, et stans contra eum, caput quasi redarguendo movere cepit. Quem famulus Dei videns agnovit, et quare caput contra se agitaret, quæsitit Cui ille: O si sciretis, quantos et quales socios haberetis in cælis, profecto caveretis vobis ab omni negligentia. Quod verbum sanctus gratanter audiens, respondit: Verene putas, quod omnes, qui in hoc monasterio sunt, fratres, salvabuntur? Etiam, inquit, salvabuntur: et non solum ipsi, sed et omnes qui in ordine nostro obedienter et humiliter fuerint conversati, salvabuntur. Recordatus vero pius Pater cujusdam fratris, quem pro negligentia et duri

cordis sui frequentius corripi oportebat, et ob hoc super eo multum contristabatur, subintulit dicens: Nunquid de salute fratris illius certi aliquid nosti? Respondit: Nec ipsi deerit misericordia Dei. Quo audito, vir sanctus vehementer gavisus est, et tanto alacrius cum fratribus suis propter verba labiorum Domini custodivit vias duras, quanto certius spem mercedis æternæ sinu suo repositam tenebat. Hæc ibi.

108. Alia quædam subjungit Manricus; sed antequam nos ea referamus, juvat hic expendere, quæ habet num. 5, et sequentibus de æternæ felicitatis eorum omnium, qui in ordine perseveraverint, vaticinio. « Cæterum, ait, quod ad promissionem attinet salutis omnium, qui in ordine permanserint; similem plane aliam accipiat lector, sanctissimo cuidam monacho (dubium an Clarævallis) Gerardo nomine, in extremis agenti, de cælo factam, Bernardo Patre vivente et attestante: si tamen ejus est libellus ille, qui sub titulo Doctrinæ beati Bernardi inter opera ipsius circumfertur. Ex illo autem memorantur a Manrico sequentia: Insuper paratus sis ad obediendum alacri animo et vultu. Cogita monachum illum, Gerardum nomine, qui cum de Dei misericordia ultra modum desperaret, infirmatus ad mortem, jacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu: et visitatus ab abbate, oculis apertis ait: Bona est obedientia: ad tribunal Christi fui, animas sanctorum vidi, ipsumque facie ad faciem dicentem mihi: Ecce locus tuus inter fratres tuos. Nullus tui ordinis peribit, si ordinem amaverit, aut in morte purgabitur, aut brevi post mortem. Salvi autem qui de ordine tuo sunt, aut in ordine apostolorum, aut martyrum, aut confessorum sortem accipient. Et hæc dicens, communionem accepta, discessit. » Manricus, his citatis, hactenus Bernardus, inquit, seu quicumque est auctor illius libelli, plane antiquus, talisque, qui pro Bernardo Patre haberi meruit. Opusculum illud, de cujus auctore dubitat Manricus, in editione operum S. Bernardi a Mabillonio vulgata habetur volumine II, tomo V, inter opera dubia et Bernardo perperam ascripta, col. 800, et sequentibus.

109. Sed ad vaticinium illud quod attinet; laudatus Annalista rem ita confirmat num. 6. « Simile quid sub abbate Pontio in Claravalle, et contigisse legimus, et suo loco inferius referemus, nempe ut in ore non solum duorum, sed trium testium verbum consistens, altius mentibus omnium imprimeretur. Simile, inquam, ut credo, sed non idem. Nam neque gestum sub Pontio retulisset Bernardus, qui obiit ante ejus præfecturam; et, ut dicamus, non Bernardi opus, sed alterius junioris ex Claravalle. At subjectorum adhuc differentiam arguere videtur distinctio nominum: quippe alter Gerardus vocabatur, ut jam vidimus; alter Bernardus, ut ex magno exordio infra etiam videbimus. » Consule tomum II, Annalium Cisterciensium ad annum 1167, cap. 6, num. 2, et sequentibus, ubi illud factum narratur; uti etiam apud Bertrandum Tissierium in bibliotheca Patrum cisterciensium tomo I, distinctione 2 Exordii magni, cap. 26.

110. Denique idem Annalium auctor hoc argumentum explicat cap. 2, num. 7, ad dictum annum 1123. « Interim adnoto, inquit, has promissiones, et si quæ sunt similes, nostrorum animos ita in spem erigere, ut nihil prorsus possint præsumptionis, nihil securitatis illis afferre; si observantibus, easdem recepturis ex firmiori evangelico sermone; si transgressoribus, jam factis extra ordinem, atque adeo extra spem præmi repromissi. Audi Cæsarium de hoc ita loquentem homilia 8 post Epiphaniam: « Non nos hæc verba, fratres, seducant. Si aliqui essent inter nos, quod absit! fures, proprietarii, conspiratores, eisque consimiles, tales de ordine non sunt; quia ejusmodi ordo excommunicat. Qui autem non communicat, alienus est. Ita Cæsarius. Quod clarior Exordium dicit, saltem facilius, dum non quibusque in ordine manentibus, sed si humiliter et obedienter conversantur, futuræ gloriæ præmium repromisit. Observantibus ergo sanctam regulam, adeoque et Evangelium, facta promissio, transgressoribus in nullo est favorabilis. » Hæc ibi. Prius vero quam hinc alio transeam, obiter monuisse lectorem meum juverit, miras prorsus esse prædictiones, quæ narrantur de morientibus in societate Jesu: prout videre datur in gloria posthuma S. Ignatii, ejusdem fundatoris, tomo VII Julii, ad diem 31 ejusdem mensis, pag. 851 et sequente.

111. En tibi nunc, lector, quæ Manricus præmiserat num. 3 et 4 de peccatoribus a sancto Patre per miracula ad poenitentiam adductis. Exemplum ibi de fratre, quem a sumenda sacra synaxi suspenderat; quique respectu humano victus, Eucharistiam una cum aliis sumpserat; sed sacram hostiam deglutire non poterat, donec poenitentem absolvisset Pater sanctus, narrat Guillelmus lib. 1 Vitæ, cap. 6, num. 57. Quid memorem aliud exemplum mirabile pariter et intellectu difficile Manrico, qui num. 4, jam citato, « non virtutis, sed doni opus, atque internæ motionis specialissimæ, nec non admirandum potius vocat, quam imitandum. Rem gestam narro in fide Exordii magni Cisterciensis, in qua illa exstat his verbis: Quidam monachus hujus sancti Patris per fallacias dæmonum, et per proprii sensus simplicitatem, in tantam cordis inopiam devenerat, ut diceret, panem et vinum aqua mixtum, quæ proponuntur in altari, nequaquam transsubstantiari posse in verum corpus et sanguinem Christi. Quapropter eadem vivifica sacramenta, tanquam nil profutura sibi, sumere despiciebat. Notatus denique a fratribus, quod sacramentis altaris, non participaret, convenitur secreto a senioribus suis.

112. « Requisitus causam, non negat; dicit se sacramentis nequaquam fidem adhibere. Quibus dum docentibus et monentibus non acquiesceret, nec sanctarum Scripturarum testimoniis in medium prolatis crederet, ad venerabilem abbatem res delata est. Cumque vocatus venisset, et abbas sanctus, secundum datam sibi sapientiam, infidelitatem illius computaret, ille respondit: Ego

nullis assertionibus ad hoc potero induci, ut panem et vinum, quæ in altari proponuntur, credam verum esse corpus et sanguinem Christi; et propterea scio me in infernum descensurum. Quod audiens vir Dei, sicuti semper rebus in arcto sitis mirabilem solebat auctoritatem ostendere, dixit: Quid? monachus meus in infernum descendet? Absit. Si tu fidem non habes, per virtutem obedientiæ præcipio tibi, vade, comunica fide mea. O pium Patrem! O vere sapientem medicum gratiarum per unctionem gratiæ docentem se de omnibus, qualiter infirmantium tentationibus mederi deberet. Non dixit: Fuge, hæretice, vade damnate, recede perditæ; sed confidenter dixit: Vade, comunica fide mea, credens indubitanter, parvulum suum, quem sacri desiderii vulva parturiebat, donec Christus in eo formaretur, sicut nequam a visceribus charitatis suæ, sic nec a fundamento fidei suæ alienum existere. Constrictus itaque virtute obedientiæ monachus penitus sine fide, ut sibi videbatur, ad altare accessit, communicavit, et per virtutem obedientiæ, sanctique Patris merita confestim illuminatus fidem sacramentorum recepit: quam etiam intemperatam usque in diem mortis suæ conservavit. Hæc apud Tissierium in Exordio magno, distinctione 2, cap. 6. Quæ autem in eis prima fronte videri possunt difficilia esse intellectu, Tissierius exponens in notis, quæ habentur ad finem tomi primi bibliothecæ Patrum Cisterciensium, « Monachus, inquit, de quo hic sermo, fuit scrupulo et involuntaria incertitudine vexatus: alioquin non jussisset eum sanctus communicare, nec se dixisset monachus scire, se in infernum, eo quod non crederet, descensurum. » Fallimur, si hisce non acquietus est lector, qui rem omnem cum suis adjunctis mature expendit.

§ XI. *Repentina quorundam militum conversio; vinea sterilis fecundata; alia, quæ de hac vinea circumferuntur; mutua inter Claravallenses ac Carthusianos necessitudo; sanctus Præmonstratensibus beneficus.*

« Per idem tempus, nam incertus adhuc annus, et sunt qui differant nimium, sed immerito, et nobilioribus Galliæ non pauci proceres, dum militarem gloriam per orbem ambiunt, facientes sibi pericula hostesque; neque vindictam quærentes, sed offensam in Claravalle auxere numerum fratrum, genus vitæ amplectentes, quod exhorrebant; » uti scribit Manricus ad dictum annum 1123, cap. 3, num. 1, ex Guillelmo, quem vide infra lib. I Vitæ, cap. 6, num. 61, ubi nobilium illa cohors militum (uti appellat Guillelmus) mirabili metamorphosi repente convertitur. Sed mirabilia sunt, quæ laudatus Manricus ad eundem annum cap. 4, num. 1, 2, et 3 commemorat de vinea Claravallensi; « quam, inquit, per hoc tempus satam, ex historiæ ejus serie conjectamur. Sane sterilis primo, mox fecunda; dein utrumque simul, semper portentum obedientiæ fuit. Hanc quidam frater, nomine Christophorus, externis rebus præfectus a sancto Patre, feriat, si quæ erant,

A horis plantaverat, Bernardo inscio: quippe ad quem diximus, multa non deferrî, ne animus illius a divinis ad terrena cum minori fructu descenderet. At Gerardus et Guido, Bernardi fratres, vinum nimias delicias arbitantes, eoque dedecens monachorum austeram vitam, aversari opus, inficiari laborem, Christophorum ab incepto dissuadere quibus poterant modis insistebant. Ille e contra laborantes in agro fratres vix posse sine vino sustentari, et multos esse infirmos debilesque, quibus sumendum vel pro medicina: tum si nulli usui necessarium foret, facile vendi, atque ex pretio ejus emi plura alia, queis procul dubio domus indigebat... Atque hæc Guidoni rationes satis visæ, ne opus illud omnino condemnaret.

B 114. « Sed Gerardus, quo erat fervens zelo, ... versus ad eum (satorem nempe ejusdem vineæ) prorupit inhæc verba: Tu, frater, vineam planta, coleque; nunquam tamen de illa gustaturus, quam infructiferam semper experieris. Res mira, et digna quæ versetur in ore omnium. Sata atque industria labore excolta vinea, fertili solo et propitio sole et aere, sterilis nihilominus permansit per multos annos; nec prius terra fructum ex illa protulit, quam satorem susciperet, atque ejus defuncti corpus in se haberet... Verum quæ in eadem vinea secuta sunt, duo alia prodigia proferamus. Mortuo satore, cum nec tunc fructificaret, Bernardum patrem monachi adiere, dubium an etiam Gerardo vita functo, et vineam eam sterilem maledictione viri illius sanctissimi in eo statu semper permansuram, si non per ipsum benediceretur, humiles et fideles renuntiarent. Tunc Pater sanctus aquam in pelvim missam ad se adduci, et benedictam per vineam jussit spargi. Sparsa aqua, quasi rore de cælo misso, germinavit plantatio, et ut sterilis Gerardo fratri olim, ex tunc opima Bernardo obtemperavit, et compensavit abundantia tarditatem, quo nec primum miraculum nocuisse, et secundum gloriosius appareret. Hæc ex anonymo Gallo lib. vii, cap. 7, quem Silva transtulit, auctore antiquo æque et digno fide. »

C 115. Factum illud minore cum ornatu, et majore cum simplicitate describitur a Joanne eremita in Vita S. Bernardi apud Mabillonium col. 1288 et sequente, num. 10; e quo, tanquam e genuino fonte, illud huc transeribo: « Monachus quidam, nomine Christianus, plantavit vineam in vertice montis, qui proximus est Claravallis. Et venerunt fratres venerabilis Patris, Guido scilicet et Gerardus, et excommunicaverunt eam, dixeruntque ei: Frater Christiane, ubi est mens tua, et ubi cor tuum? Quare non considerasti Scripturam dicentem: Quoniam vinum non est monachorum. At ille: Vos fratres spirituales estis, et vinum bibere non vultis: ego peccator sum, et volo bibere vinum. Tunc dixit Gerardus: Dico tibi, frater Christiane, non videbis fructum ejus. Post hæc verba reversi sunt in monasterium. Ille vero vineam suam fodit, et excoluit multis temporibus. Denique mortuus est, et non vidit

fructum ejus. Post multum vero temporis venit custos vineæ ad sanctum Bernardum, et dixit: ei: Pater, vinea nostra anathema est, nec potest facere fructum. At ille: Quare, fili? Respondit: Fratres tui excommunicaverunt eam, et deinceps fructum non fecit. Ait illi: Affer mihi aquam in pelvi. At ille obtulit ei. Tunc vir sanctus fecit signum crucis, et sanctificavit aquam. Vade, inquit, fili, et sparge per totam vineam. Recessit frater, et fecit juxta præceptum abbatis; et vinea crevit, et multiplicata est, ita ut videntes mirarentur. » Vides hic narrandi modum a superiore discrepantem, sed utrobique tamen eandem rei gestæ substantiam.

B 116. Ad illud narrationis postremæ: Et venerunt fratres venerabilis Patris, Guido scilicet et Gerardus, et excommunicaverunt eam, scrupulus moveri potest, et re ipsa is objicitur in notis hic apud Mabillonium contra illam excommunicationem, a col. 1287, ubi hæc sunt: « Et tamen, ubi actum est de translatione Claravallis, veteris, Bernardo a fratribus expositum est, alium locum esse spatiosum ad vineas etc., teste Arnaldo in lib. ii, num. 29; qui auctor item num. 48 tradit, monasterium S. Anastasii ad Aquassalvias Cisterciensibus ab Innocentio assignatum cum agris et vineis. Quanquam apud Cistercienses tunc rarus vini usus erat. Lege Gaufridum supra col. 1117, n. 2. » Sed scrupulum hunc conabimur eximere lectori.

C 117. Respondemus itaque ad Arnaldi locum primo, distinguendo personas. Nam, cum ibi non exprimantur nomina fratrum, cur ibidem necessario debeant intelligi Guido et Gerardus; et cur non possint intelligi duo alii fratres S. Bernardi, videlicet Andreas et Nivardus, qui tunc etiam vivebant? Nam apud Manricum, ad annum 1141, cap. 4, num. 2, Humbelinæ sorori ad mortem usque ægrotanti adfuisse narratur cum sancto Patre, Guidone ac Gerardo jam vita functis. Respondemus secundo, distinguendo tempora. Fac enim ambos hosce tunc adfuisse, ac de vineis meminisse, quando agebatur de translatione Claravallis veteris, de qua Manricus ad annum 1135, cap. 3; si inde retrocedas ad annum circiter 1123, quo excommunicatio vineæ superius accommodabatur, numerabis annos circiter 12, medios inter hanc et inter translationem illam; ita ut interea ex temporis mutatione facillime mutare potuerint priorem voluntatem vel ipsius sancti suasionem, consensu, aut jussu, ut videlicet Cisterciensis seu Claravallensis familia, quæ mirifice accrescebat, ex proventibus vinearum annis sustentari posset. « Quaquaversum enim Pater sanctus exhibat, semen verbi Dei seminabat super omnes aquas, et vix nunquam [leg. unquam] absque fœnore spiritualis lucris redibat, implens cellam probationis multitudine novitiorum, quorum numerus aliquando usque ad centum extendebatur: ita ut ad horas divini officii novitiis chororum replentibus, exceptis paucis senioribus, qui disciplinæ providebant; monachi foris stare cogentur; » de qua re

A idem Annalista ad annum 1135, cap. 3, num. 2, ex auctore Exordii magni: cujus textum mox retuli ex editione Tissieriana, distinctione 2, cap. 12. Ex dictis facilis etiam patet responsio ad objectionem petitam ex monasterio S. Anastasii; de quo Manricus ad annum 1140, cap. 8.

B 118. Ast, ut hinc digressi ad vineam illam prodigiosam, redeamus, supersunt alia nonnulla, quæ de ea circumferuntur, teste Manrico ad annum 1123, cap. 4, num. 4, ubi sic fatur: » Addunt præterea seniores Claravallis, traditione a patribus accepta, eandem vineam post aliquorum annorum fertilitatem, turgentibus jam granis et pene maturis, grandine e cælo tactam protritamque adeo, ut vix duos botros retinuerit qui possent in vindemiam reservari. Porro unum ex his datum prægnanti femine, appetenti, aut petenti quasi appeteret. Sed ex altero in ingenti vase ligneo, quod hodie perseverat, expresso Bernardi manibus, in tantum mustum crevisse modico tempore, ut redundante vase diffunderetur. Sic Villalpandus in suo Itinerario; qui vas vinarium inusitatae magnitudinis se ibidem vidisse anno Christi 1599, ac senes traditioni facientes fidem adisse testatur, illuc a reverendissimo Fiteriensi missum, antiquitates lustratum illius domus. Sic vinea illa nunquam non mirabilis, nunquam non obediens, nec minus sterilitate quam fructu semper illustris, usque in hunc etiam diem, post quingentos et cis amplius annos perseverat, nomine magnæ sortito ab spatio loci, vel ab eventibus. Atque hæc per anticipationem ex parte dicta, quod in his levibus consultius æstimamus. » Verum narrationis hujus tam prodigiosæ fides sit penes auctores.

C 119. Juvat hoc loco etiam non negligere singulare amoris vinculum, quo S. Bernardus ejusque familia cum ascetis Carthusianis, mutua familiaritatis necessitudine intercedente, constricti sunt. Quædam de hoc argumento innexa invenio huic, in quo versamur, anno 1123, cap. 3; quædam in proxime sequentem dilata. Dicamus hic priora. Ibidem itaque num. 4 et sequentibus auctor laudatus de hac re ita scribit: « Carthusienses monachos, non multo ante Cistercium mundo exortos (magnum Ecclesiæ jubar) sibi devinxit, ut minus nihil Carthusia illius esset quam Claravallis. Carthusianus hospitio ab eo susceptus, et propriis oculis hauriens, quæ fama prius, suis redditus, excitavit eorum animos, et jam olim affectos amantesque in externa etiam signa fecit erumpere. Ergo Guigo Carthusiæ magnæ prior, et fratres ejus, comperta sanctitate Patris filiorumque, et multitudine convenientium ad Claramvallem, venerari viros... et, erumpentibus flammis dilectionis, provocare silentes, et de bonis illorum gratulari, litteris ultro scriptis missisque, queis Bernardum ignotum licet adhuc ardentissimo affectu salutabant. »

D 120. Exstat viri sancti ad eos epistola responsoria, luculentissima mutui amoris testis, tenerrimi utique erga illos affectus summæque venerationis

characteribus respersa, estque inter epistolas undecima; sed, quoniam longa est ibi legi potest, hic nos eam non transcribimus. Innectitur autem anno circiter 1125 in editione Mabillonii. Exstat item epistola duodecima illis inscripta; ac priore brevior, in qua se excusat, quod plurimis negotiis præpeditus ad partes illas accesserit, et eos non viderit. Hæc absque temporis nota ponitur in eadem editione; sed apud Manricum aptatur anno 1127, et ibidem profertur cap. 2, num. 6. De itinere autem, quod alias sanctus Pater ad Cartusiam instituit, consuli potest Gaufridus lib. III Vitæ cap. 1, num. 155 editionis nostræ. De viri affectu erga alias ejusdem instituti domus ac ascetas, nec non erga S. Hugonem episcopum Gratianopolitanum, adiri potest annalista Cisterciensis ad annum 1123, cap. 3, num. 8 et 9.

121. Quantum vero idem beatissimus Pater Præmonstratensibus detulerit, ejusdemque ordinis propagationem promoverit, probat idem scriptor ex beneficiis seu obsequiis, ab ipso in eundem collatis, quæ congerit in annum 1124, num. 7. His autem adde locum quemdam in foresta [id est silva], quæ dicitur Orta, a Ludovico Juniore datum interveniente domno Bernardo piæ memoriæ Claravallensi abbate, ut S. Mariani abbas Autissiodorensis agnoscit in epistola 282 apud Chesnium, quæ inter Historiæ Francorum scriptores habetur tomo IV, pag. 666. Sancti autem Mariani Autissiodorensis mentio fit in synopsi ecclesiarum seu cœnobiorum Præmonstratensium ordinis, apud Paigium in ejusdem ordinis Bibliotheca parte 1, lib. II, p. 326. Tametsi autem superius § 9 actum sit de favoribus quibus sanctus Pater ordinem Præmonstratensem fuit persecutus; ratio tamen temporis, cui hanc materiam affligit prædictus Manricus, me induxit, ut breviter ejusdem hic memoriam reficarem.

§ XII. *Defunctorum apparitiones; auxilia eisdem præstita; vaticinium de tirone furtive exituro; archiepiscopus ac populus Remensis reconciliati; reformati in Ecclesia Gallicana mali mores.*

Sanctum Bernardum multis ac miris cœli favoribus illustrem repræsentant iterum annales Cistercienses ad annum prædictum 1124, more suo solito, ac meritis beatissimi Patris digno, cujus utpote vitæ series continuâ fere miraculorum congeries fuit. Ibidem itaque cap. 2, num. 1 et 2, occurrit pretiosa mors Galdrici in Claravalle, qui carne quidem sancti ayunculus, spiritu autem filius ejus ac discipulus existit. Felicem ipsius transitum ex hac mortali vita ad immortalem turbare conato gemeris humani hoste, astat morienti Princeps apostolorum, cacodæmonem fugat, animamque Galdrici e periculo eripit: qui post mortem suam Bernardo apparens in gloria, rem gestam eidem manifestavit. teste Guillelmo utriusque familiari, qui hoc factum describit fidei narratione lib. I Vitæ, cap. 5, num. 52. « Cæterum, prout ibidem pergit Manricus num. 3, quod attinet ad filiorum decedentium,

absentium, præsentiumve prævias vel subsecutas apparitiones, adeo frequentes tradit idem auctor (Guillelmus) ut ægre valeant scriptis commendari. Audiatur loco citato num. 53: Longum esset cuncta narrare, quæ super his, qui ex hac vita discesserant, et eorum felicitate, seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. » Quid, quod vir mirabilis præsentia et absentia, præsentis quæ sæculum ac futurum, per utriusque, ut ita dicam, limen gradens, pari cum facilitate, et sine ullo discrimine, inspirante Spiritu divino, nosceret, ac suis filiis tam in vita quam in morte paterne provideret. Consule Guillelmum lib. I Vitæ, cap. 7, a num. 69, et cap. 5, dum. 53.

123. Quemadmodum vero illos et flammis piacularibus, si quid forte ex hac vita in alteram detulissent humani pulveris, quo vel ipsæ sanctorum mentes sordescunt, vir potens apud Deum eriperit, probat factum, quod legi potest apud Guillelmum lib. I Vitæ, cap. 5, num. 35. Sed gratiam hanc omnino singularem a sancto Patre in filios derivatam esse, qui apparitionum hujusmodi visu illustrati, sicut penarum erant conscii, ita etiam ad placandam divinam justitiam impense incubuerunt, votorum suorum simul facti compotes, et liberationis participes purgantibus animabus a se procuratæ; gratiam, inquam, hanc a Patre in filios derivatam esse, eruimus ex scriptore Exordii magni, distinctione 2, cap. 2.

*Defunctus est quadam vice conversus quidam in Claravalle. Cumque, concurrentibus fratribus, commendationis officium ex more feret, monachus quidam senior, magnæ religionis vir, audivit turbas dæmonum per centurias suas incedentium, cum magno strepitu vociferatione clamare et dicere: Eia modo bene, eia modo bene: solummodo de hac mala valle unam animam in nostræ sortis partem acquisivimus. Cum vero idem senior per noctis quietem sopori membra dedisset, frater defunctus ei in visu apparuit, tristi et lugubri vultu dicens ad eum: Quia audisti heri dæmones, de meis suppliciis exsultantes veni et vide, quam terribili tormento, Dei omnipotentis justo judicio, traditus sum. Et duxit eum ad puteum quemdam magnæ latitudinis, et horrendæ profunditatis, et dixit ei: Ecce, in hunc puteum frequenter a dæmonibus injicior, quorum tanta est crudelitas, ut, si optio daretur, mallem centies ab hominibus, quam semel a dæmonibus hic immergi.*

174. « Mane autem facto, dum, quæ audierat et viderat præfatus senior, beato Patri Bernardo retulisset, licet quoque et ipse ea per spiritum cognovisset, ingemuit, et ait: Scio, quia nisi gravis causa existeret, nunquam dæmones talem ausum præsumpsissent. Itaque capitulum fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem defuncti fratris exponit: dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens monebat, ut cautius in via sanctæ religionis ambularent: multam esse malitiam dæmonum erga omnes Christianos, tum præcipue contra mo-

nasticæ religionis professores affirmans. Post hæc animæ fratris in suppliciis constitutæ subvenire eos attentius monens, psalmis et orationibus, missarum quoque celebrationibus iram Domini placare hortatus: si forte pius pater pulsatus precibus eorum, per singularis hostiæ immolationem, tyrannicam dæmonum superbiam debellare, et ab eorum nequitia fratris animam dignaretur liberare.

125. « Quod cum fratres devotissime facerent, paucis evolutis diebus, idem frater defunctus supra dicto seniori iterato apparuit, hilaritate vultus statum suum melioratum esse significans. Quærente vero sene quomodo se haberet, respondit: Deo gratias, bene. Rursus requisitus, quomodo liberatus esset, ait: Veni, et vide. Et continuo introduxit eum in oratorium ejusdem loci, ubi ad singula altaria sacerdotes cum ministris stabant, salutaris hostiæ immolationem summa cum devotione celebrantes. Ecce, inquit, hæc sunt arma gratiæ Dei, quibus ereptus sum: hæc est virtus mesericordiæ Dei, quæ invincibilis permanet: hæc est hostia illa singularis, quæ totius mundi peccata tollit; et vere dico tibi, quia his armis gratiæ Dei, huic virtuti misericordiæ Dei, huic hostiæ salutaris non est quidquam quod resistere valeat, nisi cor impænitens. Evigilans autem senex, de liberatione animæ fratris oppido gavisus est: modum quoque visionis ejusdem cæteris fratribus exponens, tanto eos devotiores ad immolationem hostiæ salutaris reddidit, quanto certius ejus efficaciam in fratris ereptione meruerat experiri. » Conjicit autem historiam istam in annum Christi 1124 auctor annulium Cisterciensium occasione apparitionis Galdrici dicta, quæ « ut peccatores a vitis deterrere, sic penitentes valent consolari, quibus talia remedia Deus providit. Ergo quia utilia, quia plane singularia, quia eandem apparitionem materiam, sed ignoto adhuc anno, concernentia, boni consulat lector; » uti monet ibidem cap. 2, in fine.

126. Scriptor idem hinc ad annum 1124, reversus, cap. 3, num. 7 et 8, commemorat vaticinium sancti Patris de novitio furtive exituro, quod horrendo juxta ac mirabili modo contextit e sæpissime jam citato Exordio. Tragica hæc historia sic narratur apud Tissierium distinctione 3, cap. 20. Senex quidam, Achardus nomine, nobilis genere, sed conversationis dignitate nobilior, novitiorum curam in Claravalle gerebat: vir potens in verbo ædificationis et consolationis: qui etiam in juventutis sue robore, jubente simul et mittente beato Bernardo abbate suo, plurimorum cœnobiorum initiator et extractor devotus extiterat. Hic jam veteranus, et emerita militiæ senex instituendis tyronibus deputatus, officium suum strenue adimplebat: et ex iis, quæ longo usu didicerat, rudes adhuc mentes contra triplicem funiculum, carnis, mundi, et diaboli, qui difficile rumpitur, quotidianis exhortationibus informabat: exemplis etiam, tam veteribus, quam recentioribus, adversus vitia cautiores reddebat: unde

et nos aliqua, sicut ex ipsius ore audivimus, perstringemus. Cum adhuc novitius esset idem Achardus, venerabilis abbas Bernardus quadam die intravit ad consolandum novitios suos, sicut frequenter facere solebat. Terminato autem sermone, prædictum Achardum aliis duobus novitiis traxit in partem, et præmonuit eos, in spiritu prophetico ita loquens: Futurum est, inquit, ut novitius ille, designavit autem unum ex nomine, ante diem crastinum furtive recedat. Vos itaque vigilate, et estote parati, et fugientem cum rapinis effugere non sinatis. Et si miser a nobis exit, quia non erat ex nobis, spolia tamen, quia nostra sunt, tenebitis vobis. Quo audito, mirati sunt illi, et eum silentio præstolati exitum rei. Profunda vero nocte duo ex illis cum fugitivum in lecto firmiter dormientem aspicerent, tunc et ipsi dormire cæperunt: erant enim oculi eorum gravati, illudente utique eis spiritu erroris. Verumtamen Achardus, quia certissime credidit verbum, a sancto Patre prolatum, haud posse irritum fieri, somnolentiæ spiritum, qui ei molestissimus erat, virili constantia repellebat. Nunc enim frontem, nunc tempora fricando, modo pilos capitis et barbæ vellicando, modo manus et faciem lotitans, nunc de loco ad locum deambulando se excitans, tandem fallaciæ somnum, quo premebatur, evicit.

127. « Cumque prope esset, ut sigum ad vigiliam pulsaretur, ecce duo quasi gigantei Ethiopes, nigerrimis cæppis amicti, per ostium domus visibiliter ingrediuntur. Is vero, qui præcedebat, gallinam asatam in spito (id est veru) portabat. Porro in ipso veru coluber ingens per caput et caudam infixus erat, qui eandem gallinam hinc inde cingebat. Cum tali itaque serculo accedunt ad lectum falsi novitii, et gallinam fumantem naribus et manibus dormientis applicant. Quo statim expergefacto, dæmones egrediuntur, et quod intus in corde ejus visibiliter acitarent, horrendo hoc visibili signo demonstrarunt. Cumque evigilasset miser ille, non sicut Jacob de somno contemplationis, sed sicut apostata vilis de somno deceptionis, continuo surrexit, et vestimentis onustus post dæmones exiit, veniensque ad ostium armarii, quod erat in claustris, machinamentis suis moliebatur firmaturam effringere, ac secum tollere libros. Porro prædictus Achardus celerrime socios excitat, et prophetatam apostatæ fugam signis et nutibus insinuat. Itaque recedentem pariter insequentes, reperiunt illum pessulum ostii concutientem. Quos ubi persensit, ille malignus illico datis saltibus evolat, et præcipiti cursu per ostia pomerii ruens, murorum tandem septis retinetur atque reducit. Die autem facto, cum malorum impænitens resipiscere nollet, quia jam datus erat in reprobum sensum, dimissus est tandem, ut abiret in locum suum. Eadem vero die arreptus a diabolo demeritiam incurrit, et usque ad mortem furere non cessavit.

128. Terribili huic pseudotironis miserrime castigati exemplo subjungimus lætius, et ad sancti glo-